

mare debes, utrumque uerum, tam centrum scilicet quam argumentum. Similiter & uerum locum epicicli hoc modo, si æquatio centri habuerit additionis titulum, ipsam medio centro adde. De medio autem argumento eandem subtrahere, & iterum ipsam addas medio motui planetæ, & habebis omnia uera, scilicet, motum epicicli, argumentum & centrum. Sed si dicta æquatio centri haberet titulum minutionis, amputari deberet à medio centro & à medio planetæ motu. Addi tamen medio argumento & prodirent omnia uera, ut prius. Cum æquatione enim centri æquata semper agendum est secundum formam tituli pro habendis uero centro, ueroque motu epicicli. Pro uero autem argumento habendo, contrarium semper tituli ipsius fieri debet, quibus peractis, æquatione centri ulterius non egis. Tandem in præfatis tuis planetæ tabulis, signa & gradus ueri centri quæras modo dicto, quorum è directo extrahas minuta proportionalia de tabula eorum cum titulo eius suprascripto, longior scilicet aut propior differentiamque eorundem cum suo titulo, quæ singula æquanda erunt per partem proportionalem, seruandaque ad partem, nec ulterior necessitas operandi aliqua, centrum reuocabit. Iam uero ad argumentum uerum cundum est, quo mediante duo sunt querenda, æquatio scilicet argumenti & diuersitas diametri circuli brevis. Quære itaque signa & gradus ueri argumenti in æquationum tabulis planetæ tui, & è directo graduum, suscipe æquationem argumenti in grad. & minu. sub titulo ipsi appropriato, cum differentia titulique earundem, accipe etiam ibidem diuersitatem diametri, de altera tabula longitudinum ex ista uidelicet, de qua sunt minuta puoportionalia prius ad partem custodita. Si enim minuta proportionalia per te comperta haberent supra se titulum Longior, tunc de longitudinibus illa recipiatur, quæ inscribitur longitudo longior, & è regione si Propior, tunc de longitudine propiore diuersitas esset recipienda, ponendaque sub minutis proportionalibus per debita loca, una cum differentia & suo titulo. Aequa deinceps unumquodque istorum, scilicet tam æquationem argumenti quam diuersitatem diametri per partem proportionalem de sua differentia, & prodibunt ambæ æquatæ. Iam uero pro finali æquatione habenda, multiplica minuta proportionalia per diuersitatem diametri, subscrabisque pro ductum æquationi argumenti per loca sua. Facta autem multiplicazione, si titulus minutorum proportionalium fuerit longior, abiice tale productum de argumenti æquatione. Si uero fuerit propior, idem productum æquationi adde argumenti, & proueniet æquatio argumenti finaliter æquata, pro uero epicicli loco. Hanc ergo æquationem si habet titulum additionis, adde uero epicicli loco, aut ab eodem minue, si habeat titulum decrescentiae, sic enim congregabis uel residuabis uerum locum in zodiaco primi mobilis, sub quo diametraliter planeta graditur tuus, pro assignato tempore. Verbi gratia: Inuestigaturo mihi uerum motum Saturni ad præfatum tempus, occurrit æqualis motus ipsius per primam 2 sig. 21 gra. 30 mi. 35 secū. Similiter eius argumentum medium 10 sig. 0 grad. 57 minut. 42 secund. Centrum quoque eius medium per 66 sig. 8 gra. 20 mi. 21 secund. Cum illo autem tabulas æquationum ingredior Saturni, & Signa in calce tabulæ, gradus autem in latere dextro reperio, quorum communis angulus hanc centri presentat æquationem, 0 gra. 57 min. cum titulo additionis, cuius differencia est 7 minu. cum nota A, quam duco in residuum centri, prodibit pars proportionalis 2 min. 22 secund ferè. Illam igitur præinuentæ æquationi adiungo, iubente eius titulo, producitur æquatio centri æquata, 0 gra. 59 mi. 22 secund. quam addo medio centro, propter titulum iuxta positum, & colligitur centrum uerum 6 sig. 9 grad. 19 minu. 43 secund. addo similiter eandem medio motui planetæ, & conflatur uerus motus epicicli 2 sig. 22 gra. 29 minu. 57 sec. Subtrahocque prædictam æquationem centri æquatam de argumento medio, relinquitur uerum 9 sig. 29 gra. 58 minu. 20 secund. Quo facto æquationem abiicio, & intro cum centro æquato ad eandem tabulam pro minutis proportionalibus inuestigandis,